

3º. Jure Franconico legitima quocumque titulo relinquere potest, *Ordin. cit. part. 3. Tit. 48. §. 3.* De jure vero communi necessario relinquere titulo *institutionis*, constat ex dictis supra Artic. II.

4º. Jure eodem Franconico non solum patri, sed etiam matri, pupillariter avia substituere permisum, et conjux conjugem potest a liberorum legitima excludere, *Ordin. cit. Tit. 43.* Secus est de jure communi, quo potestas substituendi pupillariter negatur matri et avia.

R. 2º. Quoad successionem ab intestato, 4º. juxta jus Francon. *Ordin. Prov. cit. Tit. 76. §. 2.* liberi per receptionem legitimae a bonis parentum separati excluduntur ab iis, qui receptione legitimae separati non sunt; hi enim tunc soli, exclusis ceteris, ab intestato succedunt parentibus; quo etiam privilegio ii gaudent, qui receptam legitimam rursus in communem massam contulerunt. *Tit. 7. 8. 35. §. 1.*

2º. Nepos ex spuriō avo suo non quidem succedit regulariter de jure communi; at tamen Franconico, *Tit. 82. §. 2.* Quo jure etiam illegitimi liberi non succedunt matri una cum legitimis, sed ab his excluduntur. *Tit. 82. §. 4.*

3º. Quamdiu superstes est ascendentium aliquis, nunquam collateralibus desertur haereditas, *Tit. 83. §. 2. et 3. item Tit. 86. §. 1.* ita ut, si defunctus separatus fratres habeat et sorores, ne quidem vocentur.

4º. Superstes conjux, altero sine liberis mortuo, praeter medium partem bonorum acquisitorum lucratur pro portione statutaria quartam partem de bonis præmortui conjugis. *Ordin. p. 3. Tit. 88. §. 4. 12. 13., etc.* Demum jure Franconico unio sive parificatio prolium passim viget, ut adeo liberi ex diverso matrimonio succendant æqualiter utrius parenti.

CAPUT IV.

DE POSSESSIONE.

Possessio vel a pedis aut *pedum* positione, *L. 1. ff. de acquir. Possess.* quod positione pedis frequenter capiatur; vel positione *edium*, quod in re possessa ponatur quasi sedes, nomen tulit. Sumi potest objective et formaliter. *Objective*, est res possessa, quo sensu res nostre dicuntur possessiones nostræ: *Formaliter*, significat formam, a qua quis dicitur possessor, et res possessa. Possessio formalis alia dicitur *juridica*, est vera formalis secundum leges possessio habens effectus juris; alia *non juridica*, estque physica duntaxat, sine possidendi animo, rei detentio; unde etiam *asinina* vocatur, quod, sicut asinus saccum portat sine animo illum habendi ut suum, ita talis rem teneat. Hie solum de juridica disseremus.

ARTICULUS I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT POSSESSIO?

181. *Nota.* Possessio juridica est genus ad possessionem justam, quæ vocatur possessio *juris*, et possessionem injustam. Possessio sic generice sumpta, ut abstrahit a membris dividentibus, vocatur *possessio facti*; unde possessio injusta vocatur *possessio facti specifice talis*, sive pura puta *possessio facti*, carens possessione *juris*, h. e. justa. Hinc non satis apte possessio in genere definitur: *jus insistendi*; non enim convenit possessioni injustæ, quæ, licet non sit possessio *juris*, imo sit contra *jus reale* alterius, est tamen possessio juridica. Hac observatione retenta, facile dignoscet discrepantes auctorum possessionis definitiones et acceptiones.

182. *Dico I.* Possessio facti in genere est detentio rei vera, vel ficta, corporis, animi et juris adminiculo. Ita communiter *Jurisconsulti*.

Dicitur 1º. *Rei*, quo nomine non solæ intelliguntur res corporales, sed etiam incorporales, ut sunt census, beneficia Ecclesiastica, jura, quæ a Theologis dicuntur possideri, a Juristis *quasi possideri*.

2º. *Detentio vera, vel ficta*; quia, ut quis aliquid possideat, necessum est, ut hoc per se, vel alium occupet; si occupatio fiat manibus in rebus corporalibus mobilibus, aut pedibus in re immobili, ut ponendo pedem in fundo, erit *vera*; *ficta* autem si ex dispositione, vel fictione juris; sic infans dicitur possidere; sic possides fundum oculis, si vendor tibi dicat: fundum, quem vides, traditum tibi volo, *L. 1. §. 21. ff. de acquir. Poss. ubi: Non est enim corpore et actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis et aspectu*; et in specie datum exemplum, *L. quod meo. §. si venditorem.* Idem est, si loco rei, tradatur annulus, clavis, instrumentum.

3º. *Corporis, animi adminiculo*; non enim ad possessionem juridicam sufficit apprehensio mera sive vera sive ficta, alioquin quidquid tangerem, vel pede calcarem, etiam possiderem; sed insuper requiritur, ut quis rem apprehendat animo sive intentione habendi ut suam. Necesse tamen non est, ut rem detinens suam esse judicet; nam etiam injustus possessor, vel fur vere juridice in ordine ad aliquos effectus civiles, ut dicemus, possidet; sufficit ergo ea intentione detinere, ut quis, saltem quoad externam apparentiam, habeatur dominus.

4º. *Juris*, non hoc sensu, quod debeat adesse justus possidendi titulus, aut positive a jure approbari; sed requiritur et sufficit, ut jus saltem positive *non resistat* tali apprehensioni, licet injuste cœpta sit; unde adhuc fur possidet, quia haec possessio non irritatur; et contra laicus, licet rem sacram defineat animo eam habendi sibi, eam non possidet juridice, quia haec possessio est irritata a jure *L. 30. ff. de acquir. Poss.* Idem est de bonis publicis. Unde nec eae res præscribi possunt.

183. *Dico II.* Possessio *effective* sumpta, sive ut est effectus possessionis facti et juris simul, vel possessionis justæ, est ipsum *jus reale* possidendi; aut quatenus possessio est juris realis species, ac definitur: *Jus insistendi alicui*

rei tanquam suæ. Dicitur 1°. *insistendi*, id est, pacifice detinendi, et juris remediis, interdum etiam vi et armis contra perturbantes tuendi; item fructus ex re possessa percipiendi. 2°. *Tanquam suæ*, id est, nomine proprio, non alterius; hinc licet tutor teneat bona pupilli, non tamen possidet. Nec fur hac possessione gaudet contra rei dominum, quia, cum hujus occupatio injusta fuerit, ex hac nullum ei ius reale oriri potest.

184. *Dico III.* Possessio facti dividitur 1°. in naturalem et civilem; utraque vero vel est talis a modo, vel causa et forma possidendi. *Naturalis a modo possidendi*, dum quis actu et naturaliter, quod idem est, ac corporaliter rei insistit; et contra *a forma et causa possidendi* naturalis dicitur, qua quis suo nomine, sibique rem detinet, sed sine vel animo, vel opinione dominii. *Civilis a modo possidendi* est, dum quis animo tantum, non autem actu, vel corpore rem detinet. Sic dominus absens adhuc possidet civiliter rem suam; quia possessio civilis solo retinetur animo etiam sine possessione naturali per se, vel per alium; et in estimatione morali in ordine ad effectus possessionis perinde est, ac si physice et corporaliter detineret. *Civilis a forma et causa possidendi* est, dum quis suo nomine sibique rem detinet cum animo simul et opinione dominii. Unde mixta nascitur ex naturali simul et civili possessio, si quis animo simul et actu rem possidet.

Hinc perspicitur 4°. sequestrum, apud quem res litigiosa deponitur, rem sequestratam possidere non nisi *impropriæ*, uti aliis depositarius, cum rem non detineat animo habendi sibi; ac proinde solus possessor est deponens, qui et solus gaudet possessionis effectibus. *L. 39. ff. de acquir. et amitt. Poss.*

2°. Usufructarius solum habet possessionem naturalem a causa et forma possidendi, cum rem teneat animo quidem habendi sibi, et in suam utilitatem; at sine dominio. Proinde leges, dum usufructario possessionem negare videntur, de possessione civili debent intelligi, cuius effectus usufructuario nullo modo communes sunt, ut usucapio, quæ possessionem civilem necessario supponit. *L. 10. §. ult. ff. de A. R. D.*

3°. Pariter creditor pignoratitius rem datam pignori solum naturaliter ratione formæ et causæ possidet, cum rem quidem teneat cum affectione erga se, inque utilitatem suam, h. e. securitatem crediti; at sine intentione dominii. Eaque ratione conciliari debent leges, quarum aliquæ creditori pignoratitio simpliciter possessionem tribuunt; aliquæ debitori; priores enim de naturali, posteriores de civili loquuntur.

4°. Dominus directus et vasallus, item emphyteuta possident singuli civiter, sed diverso modo; nam dominus directus rem animo possidet habendi sibi cum opinione dominii proprietatis; vasallus et emphyteuta cum opinione dominii utilis.

5°. Non satis apte a nonnullis confundi possessionem civilem cum *justa*, et naturalem cum *injusta*. Justa enim possessio est, quæ justo titulo acquisita fuit; injusta vero, quæ vel titulo plane nullo, vel injusto, ad transferendum dominium inhabili comparata; at datur possessio naturalis justa, et civilis injusta. Sic si quis aedes possidet animo detinendi sibi, cumque opinione, quod sint sue, itaque dominii, cum tamen pater defunctus, a quo accepit, eas titulo solum locationis, vel simili inhabitavit; possidet quidem civiliter, sed tamen sensu juris injuste, quia sine titulo. E contra qui rem,

quam possidet, ex errore putat esse alienam, cum tamen possessor primus legitimo ex titulo compararit, juste possidet, nec tamen civiliter.

185. *Dividitur 2°.* in possessionem bonæ et malæ fidei: unde alias possessor bonæ, alias malæ fidei. *Possessio bonæ fidei* est, quando rem detinens putat eam esse suam, vel saltem non alienam, quamquam forte reipsa sit aliena, nec illicite detineri. *Possessio malæ fidei* e contra est, quando detinens rem scit, vel putat non esse suam, sed alienam. Ubi tamen rursus observandum: non omnem possessionem malæ fidei esse juridice injustam, uti neque omnem possessionem bonæ fidei esse juridice justam; ita enim qui scienter rem furtivam emit, etsi mala fide possideat, justam tamen possessionem habet. *L. 28. ff. de contrah. empt.* E contra qui bona fide a pupillo quid emit, vel quia putat, ipsum pupillum non esse, vel saltem huic venditionem non esse prohibitam, bona fide possidet, at non juste, quia sine titulo.

186. *Dices 1°.* Ad acquirendam possessionem non est semper necessaria aliqua corporalis apprehensio; ergo. *Prob. Ant.* Sic enim possessio rerum hæreditiarum saltem in hæredes suos solum continuatur ipso jure citra omnem apprehensionem corporalem.

R. N. Ant. et prob. Ita quoad hæredes suos, de quibus solis potest esse controversia (quia in extraneis hanc apprehensionem esse necessariam, quod sciām nemo negat), teste *HAUNOLDO*, *TUSCHUS CARDINALIS*, *GAIL.* Lib. 2. observ. 129. aliquie *Jurisconsulti* communiter contra alios. Ratio sumitur ex *L. 30. §. 5. ff. de acquir.* *Poss.* ubi generaliter dicitur: *Quod per colonum possideo, hæres meus, nisi ipse nactus possessionem, non poterit possidere.* Ac subditur ratio generalis petita ex conceptu possessionis: *Retinere enim animo possessionem possumus, adipisci non possumus.* Eodem modo *L. 1. §. 15. ff. si is, qui Testam*, generaliter enunciatur: *Possessionem hæreditatis non habet, quæ facti est et animi.* Sed nec hæredis est possessio, antequam possideat; quia hæritas in eum id tantum transfundit, quod est hæreditatis; non autem fuit possessio hæreditatis. Sed hæc hæredes omnes respiciunt.

Dices 2°. Hæritas ex dictis *Cap. præc.* est successio in universum jus, quod habuit defunctus: atqui possessio est jus; nam licet ejus inchoatio consistat in facto, in conservari tamen dicit jus detinendi rem semel possessam.

R. D. Ant. In universum jus, quod est in hæredem transferibile *C.* Quod non est in eum transferibile *N.* Quædam velut ossibus defuncti adhærent, cujusmodi est possessio; alias enim etiam transmitteretur ad extraneum; sed talia jura in heredem non transmittuntur, sicut ius, quod defunctus habuit, Titium scribendi hæredem, ad hunc non transmittitur; alioquin se ipsum scribere hæredem posset.

Dices 3°. Hæredi prodest possessio defuncti, quæ continuata complet præscriptionem, ut dicimus suo loco: atqui non prodesset, si non transmitteretur; quia non continuaretur possessio; ergo æque transmittitur possessio, quam cæterarum rerum dominium.

R. 1º. Probas etiam possessionem æque transmitti ad extraneum, quia et huic prodest defuncti possessio.

R. 2º. *N. min.* Quia hoc, ut prosit defuncti possessio hæredi ad complendam præscriptionem, singulari est jure statutum, *L. 44. §. 3. ff. de Usucap.* Igitur facta per hæredem rei apprehensione a defuncto possessæ, continuatur juris fictione possessio sicut dominium.

Dices 4º. L. cum miles. 30. ff. ex quibus caus. ma. in integr. dicitur hæredem in usucaptionem succedere; quia possessio defuncti quasi juncta descendit ad hæredem, et plerumque nondum hæreditate adita compleetur.

R. 1º. Rursus probas nimium etiam pro hærede extraneo.

R. 2º. Dum dicitur, ad hæredem quasi juncta descendere, innuitur id fieri fictione juris, at non nisi interveniente apprehensione, qua non præcedente neque juncta descendet possessio in ordine ad præscribendum.

Dices 3º. Pater et filius una eademque persona esse censentur; ergo si pater possedit, censetur et filius possedisse; secus ac se res habet in extraneo.

R. D. *Ant.* Censetur eadem persona, quounque jura fingunt esse unam personam *C. Secus N.* Sic e. g. fingunt esse personam unam ratione acquisitionis, in quantum filius in patria potestate constitutus patri acquirit. At non in quibusvis filius una cum patre persona singitur; neque hic quoad possessionem.

ARTICULUS II.

QUÆ SINT POSSESSIONIS COMMODA? QUOMODO AMITTANTUR? QUÆ REMEDIA POSSESSORIA?

187. *Dico I.* Commoda sive privilegia possessori a jure concessa ampla et multa sunt: velut 1º. Quod in pari causa, vel in dubio melior sit conditio possidentis, *L. 128. ff. et c. 65. in 6. de R. I.* quod cælerorum veluti radix et fons est.

2º. Possessor in judicio petitorio habetur pro domino, ac præsumitur, ideoque probationis sublevatur onere, quod soli incumbit illi, qui possessori litem intentat, ac nisi is dominium manifeste probet, aut injustam possessionem alterius, causa cadit, *§. Commodum. Inst. de Interdict. c. sepe de Restit. Spoliat. L. fin. C. de R. V.*

3º. Possessor in judicio petitorio conventus, per sé loquendo, non tenetur edere suæ possessionis titulum, *L. 11. de petit. Hæredit. Dixi: per se loquendo;* nisi scilicet possidenti alias resistat jus, uti resistit laico quoad juris spiritualis possessionem; vel nisi adversarius habeat fundatam pro se in jure intentionem, ut habet Parochus ad decimas; vel nisi contra possessorum stet gravis præsumptio.

4º. Res bona fide possessas, nisi exceptæ sint, præscribit possessione legitimi temporis, hoc est earum acquirit dominium; de quo plura suo loco, ubi de præscriptione agemus.

5º. Possessio immemorialis supplet præsumptos defectus vitiositatis, saltem quamdiu non aperte deleguntur; sed inducit præsumptionem tituli; imo est probatio tituli, ut aiunt, probata; nec patitur inquisitionem de titulo, ut proinde possessorum muniat privilegio singulari, ut colligunt Juriscon-

sulti, præsertim Romani, ex c. super quibusdam §. præterea de V. S. item ex *L. hoc Jure §. ductus aqua. ff. de aqua quotid.*

6º. Possessor potest possessionem suam tueri, et vim vi repellere; siue possessione dejectus esset, potest etiam vi repelere, si modo id fiat in continenti et sine intervalllo. Quod si autem fur rem tuam clam rapuerit, teque insequeste et persequente fugerit, sed rem extra tuam custodiā posuerit, eam tunc vi equidem repelere non potes, ne perturbetur tranquillitas publica; et quia tunc possessionem amisisti, supersunt tibi tamen *remedia juris*, scilicet *possessoria*. Idem est si prædonem respoliare in continenti neglexeris. Unde

7º. Si quis possessione rei, quam naturaliter et civiliter possidet, sive juste, sive injuste vi dejiciatur, dejiciens sive spoliator non solum pellitur per remedia juris a possessione, sed etiam compellitur a judice restituere rem possessori cum fructibus, compensare damna.

8º. Possessio tribuit possessori jus administrandi rem possessam, pendente eliam lite; atque obligat judicem ad tuendum possessorum in possessione, quounque res ipsa non evincatur, *juxta L. 128. ff. de R. I. et c. 65. in 6. h. t.* Ac dénum possessori dat actionem realem, quæ *publiciana* dicitur, qua rem a se possessam sibique ablatam vindicat, quasi jam a se usueaptam, contra possessorum quemlibet. Estque hoc singulare beneficium possessori concessum a prætore. Ex his tantis possessionis commodis natum illud *Jurisconsultorum axioma: Beati possidentes.*

188. *Dico II.* Possessio rerum corporalium *immobilium* amittitur generaliter voluntate possessoris rem amplius possidere nolentis, *L. 3. §. 6. ff. de acquir. vel amitt.* Possess. sive voluntate expressa, sive tacita. Proinde amittitur 1º. Si longo tempore est absens a re sua, eique nec per se, nec per alium insistit, nec protestatur, se nolle rem amittere. 2º. Si redux rem suam quidem statim repeatet, occupataam ab altero, sed ab hoc repulsus, non audet deinceps vel rem occupare, vel possessionem repetere. 3º. Si nescit rem esse suam, eamque proin inter res suas non numeret, potest perdi possessio, quia deficit possidendi animus; idem est si sciat rem esse suam, sed negligat, permittat possideri ab altero; vel si libere possessionem ultro cedat alteri pacto, vel contractu; quia in his partim adest voluntas expressa, partim tacita et præsumpta, quod rem possidere amplius nolit. Idem vero est de incorporalibus, ut sunt jura, etc.

Pariter rerum corporalium *mobilia* possessio amittitur 1º. Per voluntatem non amplius possidendi, etiam solam, *L. 3. cit. 2º.* Si ita quis rem suam amittat, ut non amplius in custodia retineat, vel, ubi sit nesciat. 3º. Per furtum et rapinam factam ab eo, qui sub tua potestate non est. 4º. Per fugam, scilicet animalium, quæ non habent redeundi consuetudinem, ut aves, lepores aliæque sylvestres feræ; secus est, si redire soleant, ut canes, columbæ, aliaque animalia domestica. Non tamen amittitur possessio servi per fugam. *L. Pomponius 13. ff. de acquir. vel amitt. Possess.*

Si dicas: L. 8. ff. de acquir. vel amitt. Possess. ita edicitur: Quemadmodum nulla possessio acquiri, nisi animo et corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est; ergo rerum corporalium possessio non amittitur voluntate sola, aut animo.